

**De empyesi oculi sive pure in secunda oculi camera stagnante ... / [Georg Friedrich Seiz].**

### **Contributors**

Seiz, Georg Friedrich.  
Mauchart, Burchard David, 1696-1751.  
Universität Tübingen.

### **Publication/Creation**

Tubingae : Typis Bauhofii ac viduae Pflickii, [1742]

### **Persistent URL**

<https://wellcomecollection.org/works/nxhstsdn>

### **License and attribution**

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection  
183 Euston Road  
London NW1 2BE UK  
T +44 (0)20 7611 8722  
E [library@wellcomecollection.org](mailto:library@wellcomecollection.org)  
<https://wellcomecollection.org>

8  
9  
DE  
**EMPYESI OCULI**  
SIVE

**PURE IN SECUNDA OCULI  
CAMERA STAGNANTE.**

---

CONSENSU  
GRATIOSÆ FACULTATIS MEDICÆ

*P R Æ S I D E*

**BURC. DAV. MAUCHART,**  
Med. & Chir. D. Anat. Chir. ac Med. Prof.  
Ord. Confil. & Archiatro Wirtt.

Disputabit  
**PRO LICENTIA**

Summos in medicina honores doctores ac privilegia  
rite capeffendi,

*Respondens*

**GEORGIUS FRIDERICUS SEIZ,**  
Schorndorffensis.

*D. 10. Novembr. An. MDCCXLII.*

---

**T U B I N G Æ,**  
Typis BAUHOFII ac Viduæ PFLICKII.



DE

FAMPTRE 21 OCT 11

21

PURE IN SHOD COUM  
OAM 21 OCT 11

GRATIS 21 OCT 11

P. R. 21 OCT 11

BURG. D. 21 OCT 11

Met. & Ch. D. 21 OCT 11  
Old Coll. & Arch. 21 OCT 11

PRO LICENTIA

Summus in medicina honoris & 21 OCT 11  
no capellani

21 OCT 11

GEORGIUS 21 OCT 11

21 OCT 11

21 OCT 11

21 OCT 11  
This BAUTION 21 OCT 11



VIRIS

*Summe Reverendis, Prænobilissimis, Amplissimis,  
Prudentissimis, atque Dignissimis*

DOMINIS

D. M. GEORGIO ABRA-  
HAMO FABER,

*Speciali Superintendenti Civitatis Dignissimo,*

D. PHILIPPO HENRICO  
ANDLER,

*Consiliario Expeditionis reddituum Secularium ac  
Præfecto Consultissimo,*

D. JOHANNI ANDREÆ  
GERSTLACHER,

*Physico Ordinario Experientissimo,*

D. JOHANNI JACOBO KRAINER,  
*Camerae Consiliario Gravissimo,*

D. M. HENRICO EBERHARDO  
HIEMER,

*Diacono Superiori Doctissimo,*

D. SIGISMUNDO WISHACK,

*Sub-Diacono ac Præceptori Vigilantissimo,*

D. WILH. FRID. WECKERLEN,

*Archi-Grammateo Prudentissimo,*



*DOMINIS CONSULIBUS,  
MERITISSIMIS,*

D. CHRISTOPHORO FRIDE-  
RICO WOELFFING,

D. GEORGIO DAVIDI RUFF,

D. JOH. ADAMO KATZENSTEIN,

D. JOHANNI KRÆMER,

NEC NON

RELIQUIS CIVITATIS INCLYTÆ ASSESSO-  
RIBUS AC SENATORIBUS,

PROSPERITATIS AC SALUTIS MEÆ CUPIDISSIMIS

Disputationem hanc Inauguralem

In Tesseram observantiæ nunquam intermorituræ, animique  
devoti monumentum

Offert, Consecrat,

TANTORUM NOMINUM

*Perpetuus Cultor*

Lt. GEORGIUS FRIDERICUS SEIZ.





## PRÆFATIO.



Estinavit Præses hoc thema, jam aliquandiu elaboratum, alii Candidato. Cum vero hic ob varia impedimenta nondum in cathedra comparere potuerit, ipsumque thema, propter connexionem cum hætenus jam editis, porroque evulgandis dissertationibus oculariis, longius suppressere haud liceat, itaque nunc cum publico communicamus. Perspiciet ex ipsa perlectione Benevolus Lector, quod sterilis hic prima fronte visus ager messem proferat satis & largam & laudabilem. Quæ ut in DEI honorem proximique commodum uberrimis se diffundat usibus, est quod toto vovemus corde!



§. 1.



*Empyesis*, s. *Diapyesis* oculi, est hujus præternaturalis affectus, quando pus inter uveam & lentem crystallinam colligitur in sic dicta oculi secunda camera. Author isagoges, quem supponunt Galenum, diapyesin definit: quod sit collectio humoris exigui circa ipsam pupillam, qui difficulter evaporat ac discutitur, suffusione (ὑποχύμασι) ficcior. (a)

§. 2.

Termini medici: *Empyesis*, *diapyesis*, *empyema* denotant veteribus græcis, Hippocrati, Galeno, Aëtio, Paulo Æginetæ, Aretæo, &c. *vel* omnem qualemcunque suppurationem, s. transmutationem in pus, ex inflammatione aliqua, aut tuberculo: *vel* pariter adhuc in genere pus intro collectum & in quocunque corporis cavo detentum: *vel* in viscere quodam generatum & collectum, quod peculiari folliculo inclusum aliquando, vomicam appellamus: *vel* viscus & partem quandam internam ex inflammatione suppuratam, in pus abeuntem: *vel strictius* & proprie pus inter thoracem & pulmones collectum, (b) quo sensu communiter à recentioribus medicis accipitur: *A potiori quoque suppurationem internam significant, in contradistinctione abscessuum s. apostematum externorum.*

§. 2.

(a) Isagog. s. introduct. de ocul. affect. C. 15. circa finem.

(b) Vid. Anut; Foëssii œconom. Hippocr. voce ἔμπτυμα, p. 204.



§. 3.

*Pyosis*, suppuratio, in pus conversio, *terminus* est genericus, omnes suppurationis, in- & -externæ, species comprehendens. Male igitur restringitur & æquipollens habetur ab antiquo authore (c) speciali cuidam in oculo suppurationi, quam ὄνυχα, unguem veteres appellarunt. Πύωσις ergo genus est suppurationis: Species ejus, in oculo obviæ hypopyum, empyesis, unguis, ἀπονοχίσματα, lunula, sepedon: (d) quorsum reterri possunt & alia pustularum, abscessuum, ulcusculorum & fistularum genera, in tunicis aliisque partibus oculi obvia.

§. 4.

*Hypopyum* est collectio puris inter corneam & iridem, in prima oculi regione s. camera: (e) *Unguis* est materiæ purulentæ congestio inter lamellas corneæ, s. anteriores magis, s. posteriores, per modum abscessus clausi: Quale pus stagnans figura & colore refert mox unguium relegmina, s. ἀπονοχίσματα, mox lunulam illam albidam, in radice unguis humani conspicuam. *Sepedon*, suppuratio putredinosa & corruptio est totius bulbi oculi interioris.

§. 5.

*Empyesis* s. *diapyesis* materiam purulentam, è flavo albescentem, in secunda oculi regione conclusam & fluctuan-

A 3

(c) Author, quem aliqui Galenum venditant, definit: med. p. 48. b. edit. latin.

(d) Non sufficiunt duæ saltem πύωσις & species, quas indigitat Aëtius, ὄνυξ & ὑπέπυον, Tetrabibl. L. 7. atque constituit Guilleméau in tract. de morb: oc. cap. de hypopyo.

(e) Vid. Præsidis Disp. de hypopyo, nuperrime ventilata.



Etuantem habet, pro ratione cavi hujus exigui paucam, mox benignam, laudabilem, mox acrem, rosivam, ordinario spissam atque tenacem. Antequam assurgit ad oram pupillæ, foris inspicienti non apparet, nisi in loco tenebricoso diductis ægri palpebris & tum ampliata pupillæ diametro.

*Præsentiam* vero *puris*, inspicienti non patentis, *arguunt*, quæ conjungi solent, hæc phænomena: Ophthalmia interna, s. inflammatio choroideæ aut uveæ prægressa & conjuncta, dolor pulsatorius primum, dein gravativus, aut pungitivus & rosivus oculi internus, intolerabilis circa locum hujus suppurationis, luminis dolorificus sensus, humorum oculi turbidus status, iris inferiore suo segmento protuberans & antrorsum propulsa à pure retro incumbente. Pupilla se contrahit magis magisque arctius, aut distrahitur, & dislocatur quasi ad inferiora. Jungitur utplurimum inflammatio externa adnatæ, imo, ingravescente interna inflammatione ac suppuratione totus oculi bulbus p. n. expanditur, intumescit, sclerotica in nodos & tubercula elevatur, ac tandem perforata pus transmittit foras. Ita simul visus turbatur magis magisque, luminis adpulsus fit intolerabilior, tandem visus aboletur, dolores oculum atque caput infestant atrociores, cum perpetuis vigiliis, febre symptomatrica, vomitibus, oculis lacrymantibus, naribus fluentibus. Num pus, copia auctum & ipsam pupillæ oram inferiorem attingens aut superans, aliquando trajiciat in cameram oculi anteriorem, per exempla nobis haud constat? Id fieri posse, ratio repugnat nulla.



§. 6.

Quomodo dignoscatur & differat empyesis ab hypopyo? per definitiones §. 1. & 4. ex parte dispalescit: Quomodo ab alia suppuratione oculi interna, l. in ipsa hac posteriore oculi regione sitarum, l. vicinarum saltem partium? dicemus: Abscessus, suppuratio oculi interna, quo profundior & versus postica magis divergit, eo profundior in fundo oculi ac orbitæ sentietur dolor, eo autem minorem turbiditatem offerent humores, sic dicti, naturales oculi. Ab illa suffusione, quam cataractam vocamus, five hanc efficiat peculiaris & adventitia p. n. membrana, five lens crystallina, in perlaceum colorem mutata, facile dignoscitur empyesis, quod pus non facile adscendat supra limbum pupillæ inferiorem, &, si eòusque, vel altius, evehatur, referat corpus fluidum, mobile, utcunque crassum, in priorem oculi cameram, inclinato ac demisso capite, secedens & exundans aliqua sui portione, colorem ex albo flavescentem obtineat, brevi generetur, non diu immoretur, dolores adjunctos habeat notabiles, cum cataractæ ordinario sint absque doloribus, coloris utplurimum albidii, f. margaritacei, & totam à tergo pupillam, denique obfuscent, sedem suam constanter servant (f) & lente per menses annosque con- crescant. Itapariter abscessus lentis crystallinæ, ante ruptionem stabilis, suo manet loco, totum pupillæ tergum occupat,

---

(f) Non ignoramus dari cataractas instabiles, desultorias lentis crystallinæ, hujusque acatastasiam, f. instabilitatem: Colorem quoque lentis crystallinæ p. n. varie mutari. Sed extraordinaria hæc sunt, &, si adsint, facile dignoscuntur per allegatam empyesis diagnosin.



cupat, ruptus vero infert empyesin, &, transmittendo portionem puris in anteriorem cameram, hypopyum. Illud vero fluidum, quod hic abscessus continet, colore ut plurimum est lacteum, tenue, fluxile. Macula *crystallini* albida, *argyrias* dicta, atque *grandines*, albida tubercula, ab empyesi facile dispescuntur. *Cataracta membranaceo-floccosa*, flavo-albescens, limbo vel parieti interno uveæ alicubi adhærens, de reliquo fluctuans in humore aqueo, æmulatur plurimum empyesin; discriminatur tamen, quod illa sit perrara, lente generetur, in humore aqueo & camera posteriore fluctuet distincte, non totum cameræ fundum æqualiter repleat.

§. 7.

*Prognosis.* Si pus benignum sit & exigua quantitate, non inferet nec tantum incommodum, nec periculum, sed partim sponte, partim per medicamenta discutientia, in- & - externa se patietur successive resolvi citra ullum permanens damnum. Fit id ipsum procul dubio passim in ophthalmiis gravioribus & duiturnis, licet haud advertatur nec ab ægro, nec medico, præcipue cum æger tunc oculum detegi atque luci exponi non patiatur. Si pus abundet copia, verosimile est, redundaturum illud esse in cameram oculi anteriorem atque hypopyum sic esse effecturum. Locus vero puris in empyesi, nempe camera oculi posterior, minime ignobilior est, ut Galenus falso reputavit. (g) Unde si pus acrimonia peccet, inquinabit, arrodet solvetque crystallinum atque vitreum corpus, unà cum tunicis oculi internis externisque

---

(g) Galen. meth. med. L. 14. C. 18. ad finem. Conf. Disp. Præsidis de hypopyo p. 22. §. 2.



que, perforabit scleroticam, atque se diffundet vel in orbitam oculi, vel cuniculos aget inter scleroticam & adnatam; aut totam internam oculi structuram ac oeconomiam putredine corrumpet, atque foedam summeque dolorificam devastationem, visusque abolitionem irreparabilem afferet oculo. Quare, si dolores exacerbantur, oculum visumque indies magis turbari, puris quantitatem augeri, haecenus vero adhibita remedia scopum resolutionis non attingere observavit medicus, ad ipsam puris evacuationem chirurgicam esse prope-  
randum meminerit, utpote quæ unica superest salutis anchora, sed tempestive dextreque arripienda. Denique pus benignum inspissari magis magisque, fibrosum fieri, limbo interno pupillæ affigi, ejusque vasculo cui-  
dam rupto laceroque adglutinari posse, atque sic stami-  
na cataractæ membranaceæ, deprimendæ per operatio-  
nem ordinariam, præbere, à vero tantum non abludit,  
quantum nonnullis videtur. Sed de hoc problemate  
aliàs plura, suo tempore & loco.

### §. 8.

Affectus *empyesis*, formaliter consideratus, vel est  
*symptoma excretorum*, toto genere, ut veteres locuti  
sunt, p. n.<sup>lium</sup> quatenus pus cum nulla corporis parte  
naturali nec solida, nec fluida, nec spirituosa conspirans  
ac conveniens, ex abscessu quodam uveæ l. choroideæ  
depluit & excernitur in cameram oculi posteriorem,  
aut è sanguine extravasato & huc effuso demum gene-  
ratur: Vel morbum constituit *conformationis*, in obstru-  
ctione & infarctu hujus oculi regionis & cavitatis,  
B quam



quam nonnisi humor aqueus naturaliter occupare debet. *Efficientis vero causæ* rationem induit idem pus, in ordine ad dolores pungitivos, rodentes, oculi visusque turbationem, &c.

§. 9.

*Subjectum loci* est toties jam allegata oculi secunda camera, spatium inter uveam & crystallinum, humoris aquei portione irriguum: maxime vero hujus cameræ fundus, ad quem pus, aqueo humore gravius, secedit, atque sic ab uveæ ac iridis portione, quæ antestat, occultatur tamdiu, donec vel quantitate auctum altiora petat, vel per pupillam, in loco obscuro ampliorrem redditam, visu percipi queat per inspectionem. Cum ergo partes admodum sensiles ac delicatæ, nimirum uveæ ligamentum & processus ciliares, sphincter, vascula sanguinea numerosissima, nervuli: tunicæ retinæ portio anterior: tunica crystallini arachnoidea: ipsa lens crystallina, diaphana, limites constituent & partes continentes illius secundæ regionis oculi, facile patet, non modo hisce omnibus à pure ibidem stagnante variam affricari posse labem, humorem aqueum turbari, offuscari, lentem crystallinam opacari, arrodi, exulcerari, tunicas oculi internas erodi, destrui, malaque hæc ulterius per oculum diffundi, summos dolores, visus periculum & totius oculi destructionem denique concitari.



§. 10.

*Subjectum causæ* hujus suppurationis potest esse ipsa hæc regio oculi posterior, spatiumque ejus inferius, quatenus sanguis ibidem extravasatus mutatur successive in pus; aut tunica choroidea, aut uvea, inflammata, abscessu, suppuratione tentata: aut lens crystallina abscessum subiens, unde materia purulenta excernitur & dimittitur in hanc oculi regionem. Aut *remotius* est hoc *causæ subjectum*, ipsa camera oculi anterior, in casu hypopyi, pure repleta, hujusque partem transmittens per pupillam in secundam oculi regionem.

§. 11.

*Causa proxima*, pro diversitate casuum, est l. inflammatoria stasis sanguinis in vasculis arteriosis uveæ aut choroideæ, in suppurationem terminata: l. sanguis extravasatus corruptus putrescens, l. puris, in prima oculi regione abundantis repressio & transitus in secundam regionem s. spontaneus, s. artificialis per methodum *Justi*. (h) *Causæ remotæ* potissimum hæ sunt: ictus, contusio, vulnus, oculi: præceps lapsus, capitis violenta concussio: cataractæ operatio sinistre peracta: ophthalmia externa, repellentibus inepte intrò versa: interna item ophthalmia sinistre refrigerantibus, repellentibus, emollientibus tractata: sternutatio vehemens: vomitus laboriosus.

B 2

§. 12.

---

(h) Methodus antiquissimi illius ophthalmiatri, *Justi*, hypopyum dissipandi consistit in retropulsione puris è camera oculi anteriore in posteriorem per mediam pupillam. Vid. *Præsidis Disp. de hypop.*



§. 12.

*Indicationes* huc redeunt : Tentare resolutionem, discussionem puris : affluxum & stasin ulteriorem sanguinis impedire, & , si primæ indicationi porro locus non sit, operatione chirurgica decenter & tempestive pus oculo evocare, affectam oculi regionem detergere, præsentis & futuræ inflammationi occurrere, vulnusculum artificiale consolidare ac tandem oculum visumque roborare. Missas vero faciemus duas priores indicationes, utpote nuper demum plenius deductas in Dispp. de hypopyo, ungue oculi, ulceribus & fistula corneæ atque sic tertiæ saltem inhærebimus indicationi, per operationem chirurgicam exequendæ. Hujus vero necessitatem & tempus supra jam indigitavimus §. 7. ad finem.

Quid scopo resolutorio maxime commendaverit celebris olim angulus ophthalmiater, nomine *Tourberville*, non solum in suffusione & glaucomate incipientibus, sed etiam in sanguine ac pure extravasatis & cum humore aqueo permixtis, ipsaque sic etiam oculi empyesi, paucis huc postliminio revocabimus è relatione Woolhusiana : *Aquam* ille *destillandam* præcepit è Lactis vaccini ℥.iij. Herb: melissæ exsiccatæ & millep: vivorum ana ℥j. aut, si millepedes vivi nequeant haberi, carnis viperar. ℥j. hancque aquam mane ac vespere, 2, vel 3. unciarum quantitate jussit haurire.

§. 13.

**Apparatus chirurgicus hic requiritur : Pro stabi-**  
liendo



liendo inter operandum oculi bulbo, *speculum oculi*, quale à celeberrimo Heistero delineatum in chir. lat. T. 17. fig. 16. optimum est: Pro incisione faciendâ, *lanceola* angustior, emplastro circumducto munienda, usque ad brevem apicis nudi prominentiam: vel *acus cuspidata*, in lateribus scindens, apice fulcato prædita in alterutro ejus plano, aliquanto latior illa acu, qua Brissæus utebatur ad cataractas deponendas: (i) *Specillum argenteum tenuissimum, fulcatum*, in apice clausum, æmulans quasi subtilissimum aliquod auriscalpium, quod intra vulnusculum super fulco acûs introductum inservit ad educendum & everrendum pus tenacius, imo & mediante suo fulco, ad immittendum denuo apicem acus antea descriptæ, l. scalpelli cujusdam incurvi subtilissimi, l. & alterutrius brachioli *forficis* alicujus minimæ, pro dilatando, si opus videatur, vulnusculo: *Syringa tenuis anelliana*, si quæ injectio blande deterfiva aut diluens in secundam oculi regionem fit faciendâ: *Albumen ovi cum alumine crudo* in spumam conquassatum, manipulo *gossypii* superextensum: *Splenia* aliquot, quadrata, è linteo in 6. 7. strata complicato: *Fasciæ binæ* duos pollices latæ, sex septemve pedes longæ. Pro incisione faciendâ adhibent aliqui lanceolam minimam, in sua vagina occultatam, sed presso elatere spirali, qui intra vaginam retro apponitur, forâs educendam, ad modum illius pharyngotomi s. peristhmiotomi fabrefactam, cujus iconem sistit Heisterus; (k) Sed possumus  

B 3

egregie

(i) Brisseau de la catar. & glaucome in 8. Paris 1709. Tab. 1. Fig. 2. it. Heister. chir. lat. Tab. 17. fig. 6.

(k) Laur. Heister. chir. lat. Tab. 21. fig. 9.



egregie tali carere lanceola. Woolhusius suadet *puncta-*  
*le*, minus illo, quod in hypopyo adhibetur.

Acus tricuspis, tenuior illâ, quæ ad paracentesin  
pectoris, abdominis, scroti, solet adhiberi, Gallis  
*troiscar* dicta, à mox laudato oculario Londinensi,  
Tourberville, olim in usum ducta ad educendum hu-  
morem aqueum, inertem, vappidum, turbidumque,  
in illis qui circa an. ætatis quinquagesimum, visum ex-  
periuntur debilem & nebulosum, præsentis scopo ad ope-  
rationem empyesis pariter inservire posse videtur.

§. 14.

*Præparatio ægri* eadem debet esse, quam nuper  
commendavimus in disp. de hypop. p. 24. talis quidem,  
quam admittit necessitas maturandæ operationis. Æger  
*collocatur* in fella & per amanuenses tenetur quemadmo-  
modum in operatione cataractæ, vel hypopyi solet.  
Sub diductas ægri palpebras *immittitur speculum oculi*, &  
abs ministro, à tergo ægri stante, firmiter per ejus ma-  
nubrium perpendiculariter super frontem extensum,  
tenetur tamdiu, donec tota operatio debite sit peracta.  
Æger immediate ante punctiōem jubetur bulbum ocu-  
li adducere versus angulum internum, & sic adductum  
ipse etiam quasi defigere, immotumque servare toto ope-  
rationis tempore, quamvis partim mediante speculo  
oculi, partim infixâ dehinc acu, ad punctiōem adhibi-  
ta, in situ hoc valide jam detineatur. *Incisio* s. punctio  
tunicarum oculi fit acu supra laudata, ad modum Bris-  
sæi constructa, l. alio conveniente instrumento, & eo  
quidem fere loco, quo acus ad cataractam deponendam  
infigi



infigi solet, paulo tamen *decliviore*. *Plaga* uno ictu infligitur *perpendicularis*, *lineam* fere *mathematicam longa*, trajiciens *conjunctivam*, *albugineam*, *scleroticam*, *choroideam* atque *retinam* in *cavum* usque *cameræ oculi secundæ*, evitando *solicite* *punctionem* aut *lacerationem* *crystallini vitreique corporis*. Nihil opus est *cuspidem acus* eo usque *transversim* in *hanc oculi cameram* proferre, ut per *pupillam* *inspicienti* compareat, uti fit in *cataractæ depositione*: Nam in *operatione empyesis* agitur saltem de *tunicarum perforatione*, ut *pus contentum* in *camera secunda oculi* possit *artificiali* hoc *foramine elici*.

§. 15.

Nihil l. *parum materiæ purulentæ*, præsertim si *crassior fuerit*, *vulnuscule* hoc *effluet*, quamdiu *acus infixæ* relinquitur *immota*, etiamsi *fulcus*, quo *juxta longitudinem* aliquatenus *excavatur*, *exitum puris* *promovere* videatur. Unde l. *mediante acu*, *intra vulnuscule* *reliæta*, *labium* hujus *posterius deprimitur & diducitur* atque sic *porta nonnihil aperitur puri*: vel, si *necdum labia vulnusculi* satis *dehiscant*, aut *pus præ nimia spissitudine* ac *tenacitate* nequeat *egredi*, tunc *intra fulcum acûs* *tenuè specillum* (§. 13.) *argenteum*, *excavatum*, *applicatur* & in *cameram oculi* usque *adigitur*; tum *vero*, *acu placide extracta*, & *vulnuscule dilatatur* & *pus crassum elicitur* *extrahiturque* *fulcato* & in *cochlear desinente specilli apice*.

§. 16.



§. 16.

Aliqui, facta perforatione, acum statim extrahunt, & puris spontaneum expectant effluxum, alii expressionem ejus ope digitorum moliuntur. Ast illi spe sua excidunt ut plurimum, atque dehinc demum, sed majore cum difficultate, specillum ingerere coguntur; hi vero dolores graviter exacerbant, & ne digito quidem apte possunt expressionem perficere. Qui canalem sucltorium, ut in hypopyo suadet *Platerus* (1) heic adhibere voluerit, caveat, ne hunc nimis profunde intrudat, nec suctione nimis attrahat. *Syringa* exilis *Anelliana* poterit inservire ad diluendum & eluendum pus, factis, sed modicis atque placide, injectionibus tepidis, blandis, è solo veronicae aut agrimoniae infuso. Varias hasce methodos statim ab operatione potius tentandas reputamus, quam subsequis diebus, ut scil. non modo quantocys causa hæc continens, pus, excernatur sed & occasione, dum vulnusculum recens est patentius, opportuni inserviat chirurgus. Egressum puris maxime adjuvat inclinatio capitis facta, versus angulum ejusdem oculi externum, ad declivitatem puri conciliandam, capite tamen simul resupinato potius, quam antrorsum demisso, ut ne scil. lens crystallina nimis appropinquet uveæ ac pupillæ, huicque postmodum accrescat præter naturam.

Quid si, in casu tenacioris ac solidescantis quasi puris, aut scopo plenius purgandi & liberandi oculum ab internis fordibus atque obstructionibus, trajiciatur, methodo

---

(1) F. Platerus Prax. C. 7. ad finem de visus læsione p. 283.



thodo ab orientalibus populis profectâ , *setaceum* per scleroticam & totam oculi regionem posteriorem, illudque ipsum per aliquot septimanas relictum quotidie ultro citroque motitatum in manatione saniosa provide censervetur, donec satis purgatus videatur oculus. Sed de audaci hac , insolitaque apud nos , oculi chirurgia alibi plura dicemus.

§. 17.

Neque tamen omnem puris copiam , quæ quidem vix aliquot guttularum quantitatem superat , semel atque simul educere mordicus contendendum est ; Sed, siue tota , siue aliqua saltem puris portio fuerit evacuatâ , & æger vel dolorum mitigationem , vel plenariam cessationem ab operatione sit expertus , *obtegitur oculus affectus* , palpebris clausis , *manipulo gossypii* , *albumine ovi* aluminoso imbuto , *spleniisque* quadratis , desuper impositis , *fascia* debite munitur , & nec arcte , nec laxè nimis stringitur : *oculus sanus* spleniis pariter ac fascia *obtegitur* , atque æger in lectum ducitur , in quo jugiter detinendus est , vel *supinus* , dorso incumbens , vel *lateri affecto* , capite vero semper *horizontaliter* & in linea recta constituto cum reliquo corporis trunco , demptis omnibus pulvinaribus , idque ob ipsam , quam supra ad finem §. 16. præmisimus , rationem. *Medicamenta* tunc propinantur *temperantia* , *absorbentia* , *antispasmodica* , *emulsiva* , *papa-veracea* : *Victus* præcipitur tenuis , abstemius.

C

Apoze-



*Apozemata* diluentia, resolventia, travmatica in usum  
tum maxime trahuntur.

§. 18.

*Solvitur* ille *apparatus* chirurgicus post 6. vel 8. ho-  
ras, prout nempe id exigat vel exsiccatio & compresso-  
ria induratio epithematis albuminosi, vel dolores ar-  
dentes & pungitivi, è novo puris confluxu, vel aucta  
inflammatione oriundi. Si tum, quod sæpe fit, *pus de-*  
*mo fuerit collectum*, aut pristini portio remanserit, tunc  
immisso intra vulnusculum specillo (§. 13.) labia didu-  
cuntur & pus extrahitur, ægri capite inter hæc per ali-  
quod tempus inclinato versus angulum affecti oculi ex-  
ternum: vel & supra laudata *injectio diluens ac deterfi-va*  
caute instituitur: (§. 16.) *vulnusculo illinitur* sub quoti-  
diana deligatione mane ac vesperi, penicillo l. plumula  
mediante, *mucilago sem: psyllii*, extracta plantaginis aquâ,  
cui *antim: diaph*, & *tut: pp.* cum refracta dosi *camphoræ*  
remisceantur: aut imbuitur hac mucilagine frustillum  
tenuissimæ illius *membranule*, qua *bracteatores auri utun-*  
*tur*, & vulnusculo apponitur agglutinaturque. Epithe-  
ma illud albuminosum altero etiam, quin tertio, ab  
operatione die continuari potest, scopo impediendæ  
ulterioris inflammationis ac congestionis.

§. 19.

Tum vero poterunt *sacculi* vel *epithemata*, *tonico-re-*  
*solventes*, ex Hb: hyssop. plantag: min. Fl: sambuc. lavend.  
ros: r.



ros: r. è vino cocti & expressi frequenter palpebris clausis affecti oculi calide imponi. Qualia ad ultimum sicca, additis camphora, olibano, rad: valer: ir: flor. in pulverem redactis, aliquandiu super oculum, subinde calefacta, in forma sacculorum gestari poterunt.

§. 20.

Si inflammatio in- & -externa ab operatione parum remiserit, atque dolores adhuc infestaverint satis graves, progrediendum est ad *revulsorias* validas *evacuationes* per *vesicatoria* pedi brachioque decussatim imposita, *venesectionem* pedis, *cucurbitulas scarificatas* in humeris dorsoque, nec non *resolventia interna & topica*, §. 18. & 19. laudata: Quin & ad blepharoxysin, una alteraque vice repetendam; de qua vid. Præsid. disp. de ophthalmoxysi.

§. 21.

Si nullum pus vulnusclo amplius exire, nec intus in oculo stagnare videatur, & reliqua etiam symptomata, doloris, inflammationis &c. remittant, tunc æger magis magisque capite acclivi & erectiore, in latus vulnusclo oppositum collocatur in lecto, ipsumque *vulnusclo ad consolidationem* perducitur. Id quod fit partim illito ovorum oleo cum succo recentis radicis symphyti, vel oleo hyperici composito & subtilissimo pulvere mastiches ac bol: armen. remixto: partim adplicato instrumento, quod *compressorium Hippocratis* vocitat



Woolhusius , quodque, respectu effectus compressorii magis , quàm structuræ , simile est illi instrumento crinali , quod Fabricius ab Aquapendente excogitavit, (m) & delineavit Scultetus. (n)

*Applicatur tale compressorium* bulbo oculi palpebrisque clausis, ut in locum vulnusculi redundet præcipue compressio atque sic ejus coalitus & consolidatio promoveantur. Si tale instrumentum ad manus non sit, poterunt splenia, triangularia, graduatim majora, palpebris versus angulum externum imponi, & fasciâ, arctius circumductâ, apprimi. Aliquando tamen quacunque tali compressione tuto supersedere licet, si nimir. vulnusculum ad consolidationem & æqualem lævemque cicatricem sponte properet.

§. 22.

Cum autem *labia vulnusculi tumuerint*, extuberaverint & carne fungosa luxuriaverint, exsiccatione opus est & leni septica consumptione, per subtilissimos pul-  
veres

---

(m) Fabricius ab Aquapend. lib. operat. chir. Cap. de ægy-lope.

(n) Joh. Scultetus armament. chir. Tab. 8. fig. 1. & Tab. 31. fig. 5. Ipsa descriptio ac delineatio accuratior compressorii hippocratici, ejusque differentia à Fabriciano, nimis longa foret, neque tamen citra iconem satis clara. Illam ergo servat Præses [ad tractat: de instr. ophthalmicis.



veres sacchari canariensis, rad: ir: flor. cretæ albis. rasur: lap: lyncis, quin & refractam dosin aluminis usti, quales, mediante tenui calamo vel tubulo, labiis vulnusculi inflantur, superposito statim tenuissimæ illius membranæ bracteatorum auri frustillo, palpebrisque dehinc subito clausis.

§. 23.

Accidit aliquando, non obstante omni adhibita cautione, ut post punctiōem s. incisionem *portio puris*, quin & humoris aquei, se insinuet in exitu & exstillatione *inter conjunctivam atque scleroticam*, ibidemque hæreat, imo serpat latius. Nisi tum succedat sufficiatve ejusdem expressio à circumferentia versus hiatum vulnusculi, *facienda* est levis *incisio conjunctivæ* per lanceolam, vel scalpellum aliud subtile, & postea detergendæ sunt probe conjunctiva & sclerotica, atque priori methodo consolidandæ.

*Cicatrix*, quæ post plenariam consolidationem relinquitur, nihil quicquam visui præjudicat, nec aliam inducit molestiam, dummodo lævis sit & superficiiei tunicæ albugineæ parallela; imo ne in oculos quidem cadit insipientibus.

Ad cicatricem hanc plus justo protuberantem, aut *carnem luxuriantem* è vulnusculo artificiali propullulantem non modo, sed quam maxime etiam ad metuentum vel enatum jam fortasse, *staphyloma* tempestive



*præveniendum* & reprimendum, debita cautione applicari possunt super locum vulnusculi, membrana bracteatorum auri obtectum, patella quædam, hemisphærium aliquod, è cornu, vel lamina tenui plumbea, figuræ concavæ, palpebra superior dehinc demitti s. claudi, & extus splenium spissius, spiritu vini imbutum, imponi, totusque hic apparatus fasciâ debite constringi, non tamen fortiter nimis, eum maxime in finem, ut uveæ, vel choroideæ, prolapsus impediatur, aut mature reprimatur. Quæ vero specialissime hanc methodum spectant plura monita, ad tractationem de staphylomate servamus.

§. 24.

*Post feliciter peractam hanc consolidationem* oportet ægrum aliquandiu *abstinere* à lectione, scriptione, aëre ventoso, frigido, cibo potuque calefacientibus, inclinatione capitis longa & valde prona in libros vel terram: repetitis etiam blandis laxantibus, scarificationibus, venæsectione, si his adfuetus fuerit, *impedire cacochymiam, plethoram* atque novam ad oculos *congestionem*: denique vero *visum roborare* & acuere externis ac internis nervinis solventibus, tonicis, è millep: pp. Rad: valer: sylv. succin: pp. sem: foenic. Trag: arom: Gabelk. Pulv: anal: fr: Mind: completo: Illinitione Bals: Schaueri ad palpebras oculi affecti, matutina & vespertinâ, aut sequentis aquæ spirituosæ: ℞. Aq: carbunc. - anhaltin. ana ʒβ. ☉ ☿ urinos. ʒβ. ol: destill: rorismar. & lavend. ana.



ana ʒj. M. D. Sacculis item ficcis è Hb: serpil. roris-  
mar. Flor: ros: r. - lavend. Pulv: rad: cyper: rot. - va-  
ler. Caryophyllis arom. &c. diligenter appositis ad pal-  
pebras.

Aphoristicam hujus affectus pertractationem æqui  
bonique consulat B. L. nobisque faveat, decenter ro-  
gitamus.

TANTUM!





1800

Mr. D. Esq. Secretary of the  
Board of Trade and Customs  
London

Appliqué d'un papier d'or  
sur le fond de la robe.

T A N T M I

